



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Rebus monstrosis tamquam oppositis, res non monstrosas magis elucere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Cap. L. Vniuersum Pygmais, Gigantibus, alijsq; monstis ornari. 681

in nomine Domini: egressiq; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Quod si caluitum vitio vertere adeo est graue, quantum malum erit, irridere alterius monstrositatem miseratione longè digniorem? à qua explodenda satis nos deberet terrere, quod impium sit, Dei opus contemnere.

C A P V T L.

Vniuersum Monstris ornari, in Pygmais & Gigantibus
ac enormiter fortibus ostenditur.

NE quis autem existimet, Deo caussas non esse, tales vel defectus, vel effectus naturæ Mundo inferendi, reperit D. Augustinus, & Dionysius Carthusianus S. Augustin.
quamdam in ipsa monstrorum deformitate, venustatem. Si I. 16 de ciuit.
quidem contraria se mutuò commendant, faciuntq; gratio- c. 8. Dionys.
ra. Quemadmodū ergo gratiam lucis extollit obscuritas no- Carth. lib. de
ctis; & morbi ostendunt beneficium sanitatis; umbræq; & atria venustate
colores picturæ augent amænitatem; dum eminentiora quæ- Mundi. c. 9.
que distingunt, & differentiâ colorum, alternâ vice, se se excitante, opposita iuxta se posita clariùs eluescunt; ita & ea, quæ foeda sunt, dum res pulchras cōmendant, faciunt ad decorum atque elegantiam vniuersitatis. Qui scenicis spectaculis volunt delectare, non tantum Gratias, sed etiam Furias, & cum aulicis rusticis in theatra inducunt. Et mulieres interpoles, vt facie candida esse videantur, nigrâ tæniâ collum inumbrant. Ad eudem modum etiam Mundus iste visibilis nō formosarum modò, sed etiam deformiter exorbitantium rerum, velut intermedijs, exornatur. Nam, præter varietatē, etiam habent ista deformia elegantium commendationem. Eò pulehriora sunt prata, quod pictiora, ipsa florum herbularumq; diuersitate gratiam conciliante. Quin & raritas quoque habet leporem; & animum admiratione percellit, quidquid est inusitatum. Vnde, sicut in picturis, ita in creaturis monstrorum parerga conciliant ornamentum.

Igitur esto, non censeatur in se pulcher Pygmæus, qui Rrrr pede

L.

II.